



Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XIV. Hortatur ad æstimationem redemptionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

tanti mysterij non ignari, miremini, &
dilatemini, & exultetis confortio In-
carnationis meæ. Habet filia Sion Regē
mansuetum, non in curribus, & equis
gloriantem, sed benignitate, & misé-
ricordia magnum, diuitem in omnes,
qui inuocant illum. Accedite cum fidu-
cia ad thronum gratiæ meæ, non for-
midantes Majestatem Dei absconditi,
& operti velamento humanitatis ve-
stræ. Ego enim sum princeps pacis, fa-
ciens utraque vnum, delens, quod ad-
uersum vos erat chirographum de-
creti, dissoluens vincula colli vestri. E-
go Emmanuel semper vobiscum in fe-
dere amoris æterni permansurus, pro-
tegam vos: & (si me non respuatis) in
omni aduersitate, & prosperitate ha-
bebo vos, tanquam dulcissimos fratres
meos.

CAP. XIV.

Hortatur ad estimationem redemptionis.

CONSIDERATE filij, quæ
moneo, & in cordis centro
verba mea conseruate. Non bonis
corruptilibus, auro nempè, & ar-
gento

gento redempti estis de vana conuer-
fatione paternæ hæreditatis vestræ,
quam ex Adam accepistis: sed pretio-
fissimo sanguine Agni immaculati, qui
dignus est, accipere Diuinitatis glori-
am, & honorem, qui vero Deo, & Sal-
uatori mundi debetur. Redemptio ve-
stra, quam operatus sum in ligno, ubi,
quæ non rapui, affluenter exsoluebam,
lux sole clarior est, quæ ostendit infini-
tæ bonitatis, & misericordię magnitu-
dinem: per quam commota sunt super
labore vestro tenerima viscera mea.
Attendite filij mei, quæ legitis, & ob-
stupescite super cōsilio antiquo, quod
elegi, ut redimerem captiuos meos, &
prædicarem viæctis libertatem filio-
rum Dei. Certè si semel adhæreret di-
gna æstimatio sanguinis mei visceri-
bus vestris, mirabiliter arderetis, at-
què combureremini viuo igne dulcis-
simi amoris mei. Quis enim non accen-
datur, & ardeat, quando considerat,
me Altissimi filium, ad labores homi-
num descendisse, & per sudores, & la-
bores, calceamentum diuinitatis (quæ
caro humana est) ad Aethiopes, & Idu-
mæos

mæos extendisse? Quis adeò durus cor-
de sit, quem instrumenta passionis, &
mortis filij Dei, non compungant? Pe-
træ scissæ sunt, & monumenta aperta
sunt, sol luxit, & obscuratus est, terra
tremuit, & attonita quieuit, dum catar-
ractæ Cæli apertæ sunt, & abyssus san-
guinis mei decurrentis in terram, a-
byssum misericordiæ vobis tribuen-
dæ (ex iusticia meritorum meorum)
inuocauit è Cælo. Quis ex vobis sapi-
ens, & in latibulo cordis custodiet hæc,
& per experiētiam intelliget miseri-
cordias Domini? Utinam cogitaretis,
quo pretio empti sitis, & quam stricto
iure, totum cor vestrum mihi debea-
tis: Vos per salutarem consideratio-
nem hanc, fructu redemptionis copio-
sè gauderetis & ego fructu laboris
mei iucundissimè lætarer. Meditamini
filij, grande mysterium hoc, & dilectā
animam meam, quam pro vobis dedit
in manus iniuriorum eius, præ omni-
bus mundi thesauris, honoribus, & de-
lectationibus æstimate. Et sicut cedrus,
quaæ in Libano est multiplicabimini: e-
ritq; vobis quasi torrens voluptatis in-
æstimabilis redemptio mea. CAP.